IOBVS TRIUMPHANS.

Ἰδοὺ μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας, τὴν ὑπομονὴν Ἰὼβ ἠκούσατε, καὶ τὸ τέλος Κυρίου εἴδετε. ΙΑΚΩΒ. ε. ια.

Vincit qui patitur



M. DC. LI.

In nobilissimi ducis et Amici intimi *Henrici Oxindeni* Armig.

JOBUM TRIUMPHANTEM

Alexandri Rossæi

Exastichon.

Cum deflent alij funesta incendia belli,
Tu canis invicti fortia facta Jobi,
Cui peperit plures patientia sola Triumphos
Africa quam tota, aut Asia Scipiadis.
Salve rex Jobab qui per tua damna triumphas
Et salve vates Iotriumphe *canens.*

Ad *Henricum Oxinden* Armig:

JOBI TRIUMPHUM

decantantem.

Euge vates! & miserum balneis
Uzitam amicior fove Heliconiis,
Rarámque perge celebrare Avem,
Verè Arabem, & Phœnicem;

Condentem ut ique in cineribus, eò luctuosiorem
Quod non suis, (neq; enim licuit mori) nidum;
Nidum at aromata complexum suaviora, & sua,
Bene olentes Dei laudes :.
Atq; unde tandem splendidior renascens
Triumphato resurrexerit Satana.
Si nempe incolumem odit pietatem
Hostis humani generis,
Jobi non minus sacrificis ignibus, quàm infernis cruciatus.
Hinc totis spoliat opibus; & victimas reddit
Quos modo holocaustis purgavit
Pareus Liberos.
Beatum verò, si ita potuerit, & qualem mater peperit
Nudum (putredinis nimirum & fœtoris) evadere!
Ægrum lacessit animum caro, atq; altera caro
Non minus sua, sed tolerabilis minùs,
In quantum graviora sunt ulceribus jurgia.
At integritatem hominis non exprobrari satis est sed everti
Fæminæ pejus de Numine dubium an Viro sentienti;
Forte etenim (æquè quis neget? casta ac pia)
Viduitati inhians, saniq; coniugis
Aut mutati cupida,
Quum noluit expectare salutem, jussit mori.
(Nec latuit memorem primi sceleris serpentem
Quàm prospero faciliq; eventu
In sinum mariti, id est, originem suam
Immissa est mala consulens uxor.)
His adde rigidos Amicorum sermones,
Petræa vel duriores patria,
Et quicquid amplius ærummarum Artifex frustrà
Intulit menti interim victrici & integræ.

I nunc, atq; Inferos Satana redde hoc exemplo instructos:
Poterant non esse damnatis, si poterant esse patientes;
Et Infernum constare non tam supplicio, quàm odio;
Nec æternis plecti pœnis finita crimina
Quin ipsa ea em æternùm perpetrari,
Iterato in Judicem murmure.

Guil. Nethersole
Inter. Templi socius.

Ad verè Nobilem ducem *Henricum Oxindenum* pluribus nominibus meum de JOBO suo Triumphanti.

Hunc in deserto Mosin scripsisse libellum
Fama est; ut populus disceret inde pati.
Anglia transivit mare rubrum cæde suorum,
Exundans; poterit jam modus esse malis.

Sanguine pacabis superos? diademate strato
Pax aderit Patriæ, tuq; superstes eris;
Cresce cruor, cresce ut satietur sanguine sanguis;
(Proh dolor) exanguis gens gemibunda iaces!
Heù tellus quamvis stagnas madefacta cruore,
Prælia plura manent, perfida disce pati,

Si tandem velles largos effundere fletus,
Et si fata sinunt, vivere fortè queas;
At pietas ubi, prisca fides, patientia, Pastum?
Talia (non nova sunt) lumina rara micant.

Quam bene sis meritus Pius Oxendenus *haberi,*
Cætera si sileant, hoc mihi dicat opus.

*Virgilij tu verba doces velut * alter Homeri* *Duportus.
Versu grandiloquo Job resonare Pium.

Musa triumphali tua Carmine vectat Eoüm
Atq; alios Curru te Comitante suo.

Armiger et dux es, nec te generosior alter
Et qui ferre potest, singulus, omnis, erit.

Tales perge (precor) Complures edere fructus;
Primitias habui, quam decimare Velim!

Franc. Howard.

Ad Henricum Oxenden Armig de JOBO suo Triumphanti.

EN, quo ritè carent Civilia bella, Triumphum!
Cúmque suo IOBUM Laurea Vate manet.
En, quem diluerit non Servi scomma, Triumphum!
Bis vincit, streperam qui premit Invidiam.
Invida Lauriger as vitem quóque Fulmina chartas:
Tutior haud virtus SIC Pietate viris.

L. Jacob.

In gratiam Authoris Ingeniosissimi, et vere Generosi,

τετράστιχον.

TUrma Camænarum languet, [illegible] aut sunt
His tuus hic medicans est Panacea liber.
Regius infestat morbus tua membra? probatum est,
Sume librum manibus, mentéque liber eris.

Joh. Neale.

Ad Henricum Oxenden Armigerũ, Virum verè Philomusũ de Tempestivâ JOBI TRIUMPHANTIS sui editione.

OXindene mihi multò charissime, JOBUM
Legens tuum, nostríque mecum pensitans
Temporis ærumnas, plures contemplor Jöbos
In insulis Britanniatum singulis,
Hîc, illîc (quocunq; oculorum Lumina flecto)
Mirabilem ob tolerantiam spectabiles.
Horum alij, bellis passim grassantibus, orbi,
Parentibusq; et Liberis; alij bonis
Quadrantem ad summum exuti, sibi quærere sedes
Coguntur exulando nudi extraneas.
Quin Martis, mortisq; alij (mirabile visu)
Vim perferunt, Locum suum nec deserunt,
Sed (tanquàm infracto veteranus pectore miles)
Audentiores contrà eundo, copias
Fundunt hostiles, subeunt aut fata, cadentes
Honesta duro in prœlio per vulnera.
Intereà (heu!) pessum tota it Respublica, partes
Dum schisma eam in contrarias sic distrahit.
Nos et nescimus (dubijs Gens acta procellis)
Quis sit futurus usq; adhûc rerum exitus.
Spes tamen haud expes nostra est; Deus Ille (jacentem

Qui

Qui sustulit JOBUM potens de pulvere,
Qui prole orbatum, et pecude omni, prole beavit
Grege et ampliori quàm priùs) Ille idem DEUS
Nos jubet esse ratos ; Tantùm expectemus, et hora
(Toties cupita scilicet Patientibus)
Grata superveniet; Multos alterna revisens
Fortuna humi pessundatos sæpè extulit.
Temporis intereâ ne cui Solamina desint,
Cordatiores suscitat Deus viros,
Qui valeant, ausintq́, , sinistro hoc tempore, dictis
Scriptísque ferre opem malis præsentibus;
Téque alios inter, veri, OXINDENE, et honesti
Syncerè amantem ; hînc protinùs Tu (nobilis
Αρχιατρος tanquam) miseræ infortunia Gentis
Reíque corpus publicæ Lacerum videns
Vulneribus, tàm pulcra adhibes θεραπευτικὰ nostris,
Salomonis illa ut comparem meritò aureis
Argento insculptis, summo artis acumine, Malis
Tàm congruunt, tàm prodeúntque commodè.
Eugè, agè, quem decorant generosa Insignia Avorum,
Nec Litteræ, ornamenta animi, Minùs bonæ;
Macte hác, quam Auspicibus musis, virtute, Teipsum
Martisq́ præbens Mercuriįq́ Filium.

Jo. Ludd.

Ad-

Ad Authorem hujus libelli cui titulus est

JOB TRIUMPHANS.

FÆlicem sellâ jactet se Roma curuli,
Terrarum et dominos, se peperisse duces,
Quam meruisse homini nihil est mortale trophæum ?
Pauperior merito hæc palmula (Jobe) tuo est.
Bella movere cupis certos habitura Triumphos ?
Jobus in exemplar sit tibi (lector) ovans.
Scilicet in duris rebus patientia gliscit,
Argentum veluti comprobat igne faber.
Pompeius fieres ? Cæsar ? vel maior utróque ?
Alpha Monarcharum te superando clues.
Militiæ caput est Jobus, tua carmina pingunt
Totum ut plagoso vulnere corpus erat :
Passus ut in natis, malesuada à conjuge passus,
In vitâ est passus Job graviora nece,
His didicit miser hic miseris succurrere ; Jobi
Antidotum nobis dira venena dabunt.
Oxindenus Amans beat hoc te munere, utrâque
Sume manu, atque oculus cernat utérque datum,
Zoilus ut frendat dentes, licet ilia rumpat,
Hunc sobolem Phœbi, sæcla futura colent.

E. B.

Ad

Ad Henricum Oxindenum Armigerum ne JOBUS suus TRIUMPHANS supprimatur diutius, supplex EPISTOLA.

ÆQua fuit Jobi, dudùm patientia nostra,
Dum dignum Phœbo in carcere claudis opus.
Facta tenebrarum fas est sua fata manere,
Admisit nullam pagina sacra scelus.
Ni scelus, hoc pietatis opus voveatur in orco,
Cum servis domini, compatiendo pati.
Ne timeas vulgus nebulonum, et inutile mundo,
Nec Chrysippæas Lumina cæca faces;
Ipse Camillus eris noster facundus, (et imus
Sit locus in castris,) te duce miles ero.

E. B.

Julii octavo 1649.

PATRI

PATRI suo dilecto HEN. OXINDEN armigero, de JOBO suo TRIUMPHANTI.

DUm tua scripta lego (Genitor) vox personat aurem,
Vin te Victorem? me Duce, DISCE PATI;
Passus enim est CHRISTUS Dux Invictissimus, olim
Qui Morte, haud armis Dæmona Vicit ovans,
Passi & Discipuli sunt fortiter Illius omnes,
Sicque sequuti Ipsum sunt super astra DUCEM.
Ante Illos etiam Patriarchæ, omnésque Prophetæ,
Tristia sunt Passi multa, volente DEO.
Sic tu, Disce Pati, & tandem sine fine perennis
His, tibi cum JOBO (Nate) TRIUMPHUS erit.

Lectori.

En datur in speculum JOBI PATIENTIA (Lector)
Frangere quod mulier Dæmone plena nequit.
Cernitur hac ingens parva sub mole COLOSSUS,
Natus ubi Eois finibus alter ATLAS,
Totum sustentans CREDENTUM scilicet Orbem,
Esse REDEMPTOREM dum scit, et esse SUUM.

THO. OXINDEN.



OPPRESSIS TERRARUM DOMINIS.

EGregiam Jobi patientiam olim Regis totius Orientis longè locupletissimi, omnibus admirandam & ab ipso Mundi Conditore tantis laudibus celebratam, vobis præ reliquis, ô Regibus procellis hujus seculi vehementioribus expositis imitandam proposui; Quibus enim potius quàm Principibus legenda & meditanda sunt heroica magnorum Principum gesta? habetis hic prævium exemplar JOBUM cujus novissimis benedixit DOMINUS magis quàm primis, & ut olim sic aliquando vos procul dubio beatos reddet; ipse enim per os Apostoli sui dixit ECCE BEATOS PRÆDICAMUS EOS QUI SUSTINUERUNT; PATIENTIAM JOB AUDISTIS, ET FINEM DOMINI VIDISTIS, qualem vobis ex imo corde humiliter exoptat

HEN. OXINDEN
de Bartham.



OPPRESSIS TERRARUM DOMINIS.

EGregiam Jobi patientiam olim Regis totius Orientis longe locupletissimi, omnibus admirandam & ab ipso Mundi Conditore tantis laudibus celebratam, vobis præ reliquis, ô Regibus procellis hujus seculi vehementioribus expositis imitandam proposui: Quibus enim potius quam Principibus legenda & meditanda sunt heroica magnorum Principum gesta? habetis hic præclarum exemplar JOBUM cujus novissima benedixit DOMINUS magis quam prima: & ut olim sic aliquando vos procul dubio beatos videbis; ipse enim per os Apostoli sui dixit: ECCE BEATOS PRÆDICAMUS EOS QUI SUSTINUERUNT: PATIENTIAM JOB AUDISTIS, ET FINEM DOMINI VIDISTIS, qualem vobis ex imo corde humiliter exoptat

HEN. OXINDEN
de Barham.

IOBUS TRIUMPHANS.

INsignem pietate virum, famulúmque Jehovæ
(Cujus per totum nota est patientia mundum)
Laudibus ac meritis super aurea sydera cœli
Tollere fert animus; Tu magni Rector Olympi
Succurre, & sacris conatibus annue nostris.
Finibus est Arabum tellus porrecta sub Ortum
Solis, ea *Ausitis* dicta est, ubi maximus Heros
Stirpis *Edomeæ* florebat, sceptra gubernans
Pacificè, dictus IOBUS, Justissimus unus
Qui fuit in terris, & servantissimus æqui;
Assiduo Hic purâ est veneratus mente JEHOVAM,
Impia sacrilegæ fugiens consortia turbæ,
Cui septem fuerant pulcherrima pignora nati,
Et tres eximiæ præstanti corpore natæ,
In quarum egregio mirum decus ore nitebat;
Nec minùs ille opibus dives quàm dives & agris,
Millia cui septem pecudum, ter mille cameli,
Mille boves, quingentæ asinæ, quin insuper illi
Semper erat presto famulorum copia tanta,
Nullus ut Eois hôc ditior esset in oris,

Dumque

Dumque alternatim celebrant convivia nati,
Invitantque suas in splendida tecta sorores
Ad Cererem, & læti spumantis pocula Bacchi,
Et dum curabant convivia mutua fratres,
Votis sanctificat natos, mittitque ministros
Qui moveant precibus placandam Numinis iram;
Ipse autem surgens cumprimùm albescere cæpit
Alma dies, holocausta Deo tot ponit in aris
Quot numerat natos, secumque hæc corde volutat;
Ah ! fortasse mei plena inter pocula nati
Peccarunt nomenque Dei sanctum ore profano
Læserunt; talem ille die se quoque gerebat,
Integer haud fictis veneratus numina votis.
Et tantæ pietatis opus peragebat Jobus,
Mane novo quoties Phœbus de gurgite surgit,
Primævi in mensis dum gustant fercula fratris
Nati, syderea residens Deus altus in aulâ
Concilium vocat, Huic subito glomerantur in unum
Innumeri aligeri juvenes, natique Tonantis,
Nempè ejus jussu (cui parent omnia) primo;
Per medios dirâ furiarum à sede profectus
Sese infert Stygius (visu mirabile) Dæmon
Cui J O V A; heus unde acer ades captivus Averni?
Extemplò Satahas J O V Æ respondit, ab oris
Terræ adsum extremis quas nocte dieque pererro :
Tum D E U S; annè meum vidisti has inter JOBUM,
Fidum illum usque mei cultorem numinis? Orbis
Nullum totus ei peperit pietate secundum;
Respondens Satanas, dixit, frustrà Omnipotentem
J O B timet? hunc vallo cinxisti, & mænibus altis;
Nonne tuis donis exuberat, atque favore
Lætus ovat, divis pecoris ditissimus agris
Cujus in immensum crevit possessio acervum;

Sin

Sin homini tristes morbos, subitamque ruinam
Immitas, pereántve armenta immensa, gregésque,
Fallor, hic ingratus si te non protinùs ore
Latranti coràm incessat, tua dextera quamvis
Fudit opes illi sua celsa palatia circùm.
Cui Deus; ecce igitur, meus Hic quæcunque fidelis
JOBUS habet, tua sunt, in eum tibi plena potestas
Fortunasque datur, sed corpus tangere nolo
Te tantum Illius, vitæve abrumpere filum.
Hæc ubi dicta, fugit Satanas velocior Euro,
Vel jaculo à facie Domini terásque revisit.
Jámque suifratris primævi in sedibus omnes
Læti una fratres animis, ternæque sorores
Dulcia fæcundis carpebant fercula mensis,
Miscebantque hilares Lenæi pôcla liquoris,
Ocyus accurrit cùm JOBI ad limina tristis
Nuntius, his implens miserandis questibus auras;
Ah! dum vomeribus subigebant arva coloni,
Juxtà, & tardigradæ carpebant gramen asellæ,
Ecce feræ gentes subitò irrupere Sabæi
Omnia vastantes latè custodibus ipsis,
Occisis, sclúsque evasi nuncius horum:
Vix fandi finem fecit, quando advolat alter,
Hæc referens: summo ceciderunt fulgura cælo
Quæ consumpserunt pecudes, pecudumque magistros;
Solus ego evasi, qui sim tibi nuncius horum:
Tertius, hæc illo memorante, accessit, & inquit
(Crede mihi) turmas rigidi eduxere Sabæi
Tres, quibus errantes furtim invasere camelos,
Ablatísque illis pueri cecidere sub ense;
Solus ego evasi, qui sim tibi nuncius horum,
Vix ea fatus erat, quartúsque supervenit illi
Ista addens; dùm Iobe tui (vix temperat ille

A lachrymis) nati, & natæ convivia læti
Ædibus in fratris majoris nuper habebant,
Extemplò adversi fremebundo turbine venti
Erupere Austro, deserti è finibus orti,
Et semul incubuere horrendo murmure tectis,
Atque everterunt imis à sedibus ædes,
Unde gravi lapsu natorum membra tuorum
Obruta cuncta jacent miserè tumulata sub illis,
Vixque adeò super unus eram, qui hæc tristia ferrem
Nuncius ! Hoc Genitor casu perculsus acerbo
Surrexit, vestemque suam laceravit (ut illis
Mos patrius,) secuítque comam, tristísque petivit
Suppliciter terras, divinum numen adorans,
Et placido tandem has effudit pectore voces.
Nudus ego exivi ex utero genitricis, & illa
Me nudum accipiet. reducem; mihi dona I E H O V A
Cuncta dedit, proprioque eadem nunc jure reposcit,
Esto ergò illus benedictum in secula Nomen.
IOBUS adhûc ullo temeravit crimine linguam,
Nec contrà DOMINUM se indigna est ore loquutus.
Sed non contentus poenas tentasse per istas
Egregium virtute virum est Stygis incola diri,
Ergò ubi tecta patent summi Genitoris Olympi,
Ipseque Rex Divum in solio sedet arduus, illuc
Concilium aligerum (qui temperat omnia) cogit,
(Namque ibi quis sedeat magnus nisi Conditor Orbis?
Hos inter Satanas (quo non deformius ullum
Aut magis horrendum monstrum Natura creavit)
Irruit infernâ dirarum à sede sororum,
Audax, et stetit ante Deum ; mox Arbiter Orbis
Hæc illi ; Satana undè huc irrequietus & effrons
Rursus ades ? contrà hic ; è mundi finibus adsum,
Quos modò (terrarum emensus loca cuncta) revisi.
Tum DEUS, annè meum vidisti (dicito) I O B U M
Cu

Cui pietate parem totus non protulit Orbis?
Qui sanctâ, quæ recta, animâ fucóque carente ovans
Integer amplectens, Dominúmque Deúmque Jeh
Me colit, & pravi vitat contagia Mundi;
Cernis ut antiquæ salvum pietatis honorem
Servat ad hûc? quamvis hominis rerúmque suarum
Perdendi tu suasor eras: hæc dixerat; ille
Arte malâ Stygiisque dolis instructus, iniquè
Objecit JOBO nova crimina mixta querelis,
Pœnásque emeritas, nullo cogente, reposcit.
(Pluto mihi causas memora, quo Numine læso;
Quidve tot infandos te iratum volvere casus;
Mirandum pietate virum tot adire dolores
Impulit? an tantas Satanæ mens ardet in iras?
Non erat in JOBO species sceleríve dolíve
Sed scelus omne tuum, Satana; nullum ille nec ausus
Nec voluit patrare nefas, non excidit ore
Fraus ulla, aut ulli voluit succumbere culpæ.)
O Deus omnipotens (inquit) te pectore ficto
JOB colit, & nudis veneratur Numina verbis,
Dulce sonans linguâ, dum mens meditatur iniquum,
Is se ipsum non Te, TUA MUNERA, non tua facta
Diligit, ille dolos versans tua præmia temnit;
Ardua, quem tantis super æthera laudibus effers;
Corpus ei solidum Tu membraque plena dedisti
Succi, & fulgentes æquantia lumina stellas;
Si mihi fas esset morbis affligere carnem,
Carnem, quam extollit supra omnia dona JEHOVÆ
Extemplò cernes quæ sit patientia Jobi,
Mirum erit in faciem nisi Te tuus integer ille
Incessat probris dictísque accendat amaris;
Subiicit Omnipotens blateranti hæc ore maligno
Talibus; insontem flammâ flagroque probandum

Ecce remitto tibi, vitæ tamen illius uni
Parce memor; Satanas auditis lætior istis
Ocyus à DOMINO se proripit, atque latenter
Invadens JOBUM tetro ferit ulcere corpus;
Dira lues hominis pertentat viscera sancti
Interiora acri penitus suffusa veneno,
Atque etiam à summo percurrens vertice ad imos
Plantarum articulos squallentia membra pererrat.
Continuò huic alius color est, & marcida vultum
Deformat facies, horrendo in corpore crustæ
Concrescunt subitæ, scabies turpissima mirè
Commaculat totum (visu miserabile) corpus.
Hinc jacet in terra secum sua fata revolvens
Aspera, & invictos animos in corpore versat:
Languenti, nec eum constans fiducia liquit,
Quamvis (heu!) testâ est abradere membra coactus,
Membra modis miris fluido deformia tabo.
Hæc tulit egregius JOBUS, virtute secundus
Nullis heroum, quas aurea sæcla tulerunt:
Vir bonus & fortis rebus non deficit arctis,
Sed constans similisque sui, veréque quadratus,
Nevè à proposito varians magis ille movetur
Quàm vel dura silex solet, aut Marpesia cautes;
Quamvis assiduis tundatur flatibus Heros
Fortunæ adversis, licèt hînc furit Eurus, & illînc
Auster, & instabiles exuscitat Africus undas,
Stant tamen immoti scopuli; licet horrida sternant
Ilice de nigrâ vernantes flamina frondes,
Stat tamen ipsa hærens radici immobilis arbor:
Tunditur haud aliter JOBUS fortissimus Heros
Flatibus adversis, tamen imperterritus ille
Stat fultus bonitate Dei, cunctósque dolores
Exuperat virtute suâ, firmatáque mens est

Contrà

Contrà omnes casus, contrà omnia spicula Ditis.
Prostratum in terra spectans malè suada maritum
J O B I uxor, miserum sic est affata jacentem;
Ah, Conjux, videas (si vis) quò te tua virtus,
Quo te certa fides, quò spes cultúsque J E H O V Æ
Deduxit; meritis annè hæc sunt præmia vestris?
Ah sanctè recubas, quam mollis lectus, & oris
Quàm decus egregium est, quàm sunt fragrantia membra
Et quam pulchra tibi; nempe hæc tibi munera J O V A
Magna dedit, quoniam coluisti sanctiùs illum,
Et magis assiduè reliquis mortalibus, hînc est
Quod dederit tali tam spendida præmia servo.
Nonnè fuit satius jucundæ gaudia vitæ
Carpere, & in summo traducere tempora luxu
Amplexus inter dulces, atque oscula? nonne
Spumantes præstat pateras haurire Lyæi,
Expleri dapibus, moxque indulgere choreis,
Quàm sic affligi solo pietatis amore?
Quid tibi jam pietas prodest tua, quid tua virtus,
Quid benefacta, quibus toties in rebus egenis
Juvisti miseros? annè hæc est debita merces
Et dignus pietatis honos? quis crederet esse
Numen quod mundum regat, aut mortalia curet?
Nùm cælo pietas ulla est, quæ præmia reddit
Debita vel justis, vel pœnis punit iniquos?
Ah! quoties nudos texisti vestibus? at jam
Ipse sedes nudus papulis fætentibus horrens;
Quique ministrâsti jejunis ventribus escas,
Jejunus nuc ipse sedes, & pallidus ore;
Qui clausos tenebris, & cæco carcere vinctos
Solari solitus fueras, nunc nemo tuorum
Apparet, qui te dictis soletur amicis;
Qui medicas adhibere manus ad vulnus egeni

Non dedignatus fueras, tua vulnera nemo
Curat, nec miseri quisquam miseretur IOBI.
Qui modò cum summis residebas Arbiter omnis
In folio litis, procerum stipante catervâ,
Nunc cineres inter dejectus, stercora & ista,
Abradis testâ scabiem, saniémque cruentam:
Hæc si sit merces pietati debita tantæ,
Præmia virtuti si sint hæc congrua tali,
Testeris non esse DEUM, vel si sit, iniqum
Dicito, et extemplò certæ succumbito morti,
(O conjux malegrata Deo, malefida marito,
Quæ non contenta es maledicta referre JEHOVÆ,
Vèrum etiam suades discrimen mortis inire
Sæva virum, tristémque accendere Numinis iram;
Túne animam cupis ergo viri cum corpore perdi?
Queis thalamus curæ est, quique indulgetis amori,
Consiliis temerè uxorum ne credite, néve
Ullam adhibite fidem, quibus est reverentia nulla
Numinis ætherii: nunquàm colet illa maritum,
Pectore quæ toto non diligit omnipotentem.
Nulla fides, ubi nullus amor; quæ Relligionis
Vincula non servat, nec vincla jugalia curat.)
Rixantis patiens hæc scilicet omnia JOBUS
Audiit uxoris strepere, sed pectore tristi
Iratoque simul; cui respondere paratus
Talibus increpuit sponsam tam prava monentem;
O Conjux, Conjux, quæ te dementia cepit?
Garrula lingua tibi est, mentem præcurrit, & illa
Æterno fundens insulsa, & inania verba
De DOMINO (cujus mandatis omnia parent.)
Credo equidèm (nec vana fides) sine Numinis hujus
Cognitione nihil dictum est, factum ve sub axe;
Quicquid in hac vita mortalibus accidit, illud

Cælitus emissum est; immo hæc, quæ fœtida cernis,
Vlcera (crede mihi) tot nunquàm aut tanta fuissent,
Ni DEUS omnipotens ea decrevisset ab alto
Mittenda, *ille etiam est, rerum cui summa potestas*
Qui *regit ætherii fulgentia sydera cæli*;
Qui mare velivolum versat fluctusque jacentes
Tollit, & hos tursum suevit componere motus.
Ille humanarum rerum moderatur habenas;
Nam quosdam ponit sublimi in vertice regni,
Quos iterum elatos fundum deturbat ad imum;
Rursùm alios contrà medio de pulvere tollit.
Ille quidem variis nos auxit honoribus, ille
Divitiis amplis cumulavit, nosque beatos
Reddidit, & pulchrâ et numerosa â prole parentes;
Non deerant nobis halantes floribus horti,
Piscosique lacus, æquataque culmina cælo,
Non deerant epulæ, & generosi pocula Bacchi;
Vitâ quinetiam lougâ firmísque fruebar
Viribus, & nullis tenuato corpore morbis,
Utile nec quicquam deerat mihi, nam nihil unquàm
Omnipotens, potui quod mente optare, negavit;
Ergo DEUS cùm sit tantorum causa bonorum,
Quorum participes voluit nos hactenùs esse,
Nos mala cuncta decet tranquillo pectore ferre,
Et quascunque volet pœnas infligere nobis
Sedato tolerare animo, cùm scilecet æquum est
Submittant nati patriis sua terga flagellis.
Sic ait, haud ullis ærumnis territus Heros,,
Nec quenquam incusans, Dominum nec voce lacessens,
Sed tulit inflictas sine culpâ aut murmure pœnas,
Sub mittens se se patienter Numinis iræ,
Eccè autèm subitò magnas it fama per urbes,
Quæ cognatorum JOBI pervenit ad aures

Ocyor

Ocyor aut jaculo, emissâ cornúve sagittâ,
Hi novitate rei stupefacti, ut corpus amici
Audivere pedis de plantâ ad verticis ἀκμὴν
Fœdari ulceribus, nec toto in corpore partem
Langventi immunem macie saniéque cruentâ
Extemplò glomeratim adsunt, ardore videndi
Flagrantes summo, media inter tormina, amicum:
At simul ac tristi ten uatum tabe cadaver
Viderunt, ut & ora modis pallentia miris,
Aspectu primo non cognovere sodalem;
Ast ubi cognorant tundentes pectora palmis,
Immersere alto lachrymarum flumine ocellos;
Descindunt vestes, et comptos antè capillos
Insperso (de more suorum) pulvere fœdant,
Et feriunt clamore altissima sydera cæli,
Septem illìc mæsti noctésque diésque sedentes
Anxietate animi vix vel mutire valentes;
Verùm hi, quorum munus erat rationibus uti, et
Confirmare fidem validis languentis amici,
Et qui debebant solari hortatibus, ecce
Illius infandum tentant augere dolorem,
Linguísque armatis læthali felle veneni.
Heu!! miserè insulsis duplicarunt vulnera verbis,
Et fixa in venis sua spicula cæca relinquunt;
Nam falsò incusant illum sceleríſque dolíque
Dùm méritò affirmant tales sufferre dolores,
(Quis credat?) dicunt etiam majora mereri
Supplicia a DOMINO, quia ficto hunc corde colebat.
Hæc est conditio vitæ mortalis; amici
Obsequium præbent, circumstant, blandáque dicunt,
Dum Fortuna favet; sed quando recedit, iidem
Aufugiunt, & nos miseros in limine linquunt.
Quinetiam vultus assumunt sæpe severos,

Obliquaritque

Obliquámque oculos; olim qui fronte serenâ
Nos aspexerunt, nunc terræ ut inutile pondus
Despiciunt, pedibúsque premunt, & jurgia miscent.
Sic, quando radiis lustrat Sol aureus orbem,
Cantillant volucres, arrident undíque flores;
Sed simulac Phæbus se nubibus abdidit atris,
Ecce silent omnes; tenebris tristatur Olympus,
Sant stupidæ pecudes, & flos torpescit in agris.
Tempore vernali cum Mundus ubíque renidet,
Circùm tecta volant, & cantibus aëra complent
Æstivæ volucres, sed quando bruma propinquat,
Turmatìm hinc peregrè fugiunt, & aprica requirunt;
Sic cum tristis hyems Fortunæ invásit JOBUM
Discessere omnes, solum, & liquere sodales,
Tres tantum intersunt, sed qui pro melle venenum
Dant, sævis illi stimulantes corda sagittis,
JOB tamen invictus perstans, fortissimus unus
Qui fuit in terris, animis ingentibus iras
Istorúmque tulit fastus, inimicáque verba,
Et postquàm casus animo, superaverat omnes,
Invicto dominantem antè prostravit & ipsum
Inferni regem, triste & mirabile monstrum;
Huic Pater omnipotens victori præmia reddit
Tres numero egregias forma superante puellas
Addidit, & septem natos, multosque suorum
Natorùm natos, & qui nascuntur ab illis;
Ereptas duplicavit opes, plenusque dierum
JOBUS erat, vita cum fata suprema subivit,
Sic nihil amittit, verùm lucratur abundè,
Pro DOMINO qui perdit opes; qui fert sua damna
Fortiter, & patienti animo, fiducia cujus
Durat in extremis, mediáque in morte triumphat;
Ditior est talis pauper quàm dives avarus

Qui numerat gemmas, ærisque aurique talenta;
Infirmus talis longè est robustior illo
Qui membris & mole valet: sapientiùs ille
Instituit vitam, didicit qui tristia ferre
Æquo animo, quàm qui rerum cognoscere causas
Dans operam versat veterum monumenta virorum;
Qui jacet in tenebris, & cæci carceris umbris,
Non tamen ipse malis cedit, fælicior illo est
Nec non liberior, qui libertate potitus
Corporis, est animæ vitiis captivus iniquis.
Non hic qui leges aliis, sed qui sibi ponit,
Rex est dicendus; Rex est qui se sibi subdit,
Qui fastum subigit, qui luxum respuit omnem,
Latiùs hic regnat quam Cæsar, & omnis Juli
Progenies olim, quorum quæcunque sub axe
Stellifero tellus extersa est jussa subivit.
Talis erat JOBUS Rex longè illustrior inter
Immundos recubans cineres, quàm quandò sedebat
Purpureos inter proceres sublimis in aula.
Sic, postquam cælum pluvialibus horruit Austris,
Diffugiunt tandem nubes, & luce serenâ
Splendescit Mundus, pulsâ caligine Phœbus
Emicat, & radiis convexa rubentibus ornat.
Sic, postquàm tumidis jactarunt mota procellis
Æquora ventorum flatus, maris impetus omnis
Cessat, & æquato lætatur navita Ponto.
Sic postquàm brumam invexit Capricornus inertem,
Succedit tempus vernum, quo prata virescunt
Gramine, dum harmonicas variat Philomela querelas.
Tandem acer desævit hyems, nec aquosus Orion
Contristat cælos, nec inhorrent arva pruinis,
Sed gratâ vice ver Zephyrique tepentibus auris
Evocat halantes per prata nitentia flores;

Haud aliter postquàm divini Numinis ira
Sæviit in I O B U M, postquam spoliaverat ipsum
Divitiis, postquàm viduasset honoribus, atque
Prostravisset humi, & sobolis tot pignora chara
Sustulit antè diem, tandèm placatus J O B U M
Respexit, veterémque favore amplexus amicum
Faucibus à mortis revocans, de pulvere tollens
Restituit sobolem pecudes duplicavit abactas,
Et tursum in solio firmari fecit avito.
O ter fœlices illi. qui fortitèr atquè
Æquo animo didicere pati sua tristia damna,
Qui non sucumbunt oneri, qui pondera casus
Adversi sufferre valent, sævasque procellas
Fortunæ, intrepido possunt contemnere vultu!
Hi non dificient quamvis mare fluctibus orbem
Obruat, & rutili solvatur machina cæli.
His Pater omnipotens vires, animósque ministrans,
Præclaros reddet post prælia sæva triumphos.
Quis J O B U M dicet miserum, licèt omnium egenum,
Divitiisque suis, Regnoquè ejectus avito?
Dum spoliatorem spoliat, Satanamque repellit,
Invictis animis, & tela immissa retorquet,
Dúmque argumentis hostes confundit acutis,
Et sese totis opponens viribus Orcum
Servitio premit, & toti dominatur Averno.
Macte tuâ laude hâc JOB nam sic itur ad astra,
Per tua supplicia, & cruciatus tendimus omnes
In cælum, via difficilis, sed certa; cruenta,
Sed clara; excordi forsan mentuenda, sed illi,
Qui J O B I invictam gerit alto in pectore mentem
Non formidanda est, quandò calcavit eandem
CHRISTUS, & hoc ipso conscendit tramite cælum
Per mare fluctisonum tot tempestatibus actus

Tandèm

Tandèm ad ſecuros appellit navita portus.
Optatam quicunque cupit contingere metam,
Algeat, & ſudet, nitatur & inſtet oportet.
Non ſemper medicina valet, quæ dulcis; at illa
Prodeſt, quæ morbos ſuccis expellit amaris,
Illa arbor valida, & firmis radicibus hæret,
Flatibus, triſonis quam ventus quaſſat, & urget.
Sæpe aperire decet ſcalpello vulnus acuto,
Cauſtica ſæpe adhibenda cuti ſunt aſpra tenellæ;
Ergò quiſquis amat cum JOBO attingere portum
Pacatum vitæ, & multos fæliciter annos
Implere, ediſcat cum forti incommoda JOBI
Omnia poſſe pati miſerandæ huic obvia vitæ,
Certandum eſt nobis, volumus ſi præmia pugnæ
Per varios caſus per tot diſcrimina rerum
Tendimus in cælum, ſine cæde & ſanguine nemo
Rite triumphabit nec regna hoſtilia ſubdet.
Romani magna proclamant voce Catonem
Eſſe virum fortem (qui ſeſe occiderat enſe)
Nec mortis metuiſſe viam, nec Cæſaris iram,
Dum ſtricto petit enſe latus, propriúmque cruorem
Haurit, & intrepidâ tranſverberat ilia dextrâ.
Aſt animi imbellis, timidíque fuiſſe negabit
Quis niſi mentis inops? ſiquis conferre Catonem
Cum noſtro audebit JOBO; Cato namque timebat
Ludibria, & ſannas hominum, nec ferre valebat
Scommata, nec riſus populi, ſed JOBUS inermis,
Morbidus, invalidus, nudus, contemptus, egenus,
Quem falſô incuſat Dæmon, maleſuadaque Conjux
Ad ſcelus hortatur, veteres culpántque ſodales,
Exagitántque hoſtes, omnes tamen unus JOBUS
Pertulit inſultus, & crimina falſa refellit,
Hoſtile in pectus ſua ſpicula cuncta retorſit:

Inque fugam vertit Satanam, celebrémque triumphum
Egit in æternum, longè ſuperando Catonem.
Euge animis invicte Heros cui nullus in Orbe
Par fuit, aut fuerit, niſi ſolus CHRISTUS IESUS:
Quis tecum audebit bello contendere, tecum,
Quis ſolus ſuperaſti ipſum virtute barathrum;
Cui victus SATANAS palmas extendit, & omnes
Ceſſerunt hoſtes timidi; retroque ruerunt?
Te tua perceelebrem reddet per ſæcula virtus,
Famaque per totum vulgabitur inclyta mundum,
Dum mare fluctiſonis littus diverberat undis,
Dum cælum terras, dum volvitur æquora circum,
Semper honos, nomémque tuum laudéſque manebunt.
Salve ſancte JOBAB veterum fortiſſime regum;
Quem neque turgentem faſtu fortuna ſecunda
Suſtulit, aut animum dejecit rebus in arctis:
Te nunquam adverſis fregit ſors ſæva procellis,
Sed tibi mens immota manens, invictáque tempſit
Vim Satanæ, eunctaſque minas flagrantis Averni:
Haud rupi abſimilis quam fluctibus undique tundit
Pontus, & aſſiduis inſultibus irritus urget.
Aut veluti validis quercus radicibus hærens
Montibus, in curſant rabidi quam turbine venti
Sternere certantes vulſis radicibus, illa
Stat defixa tamen, vireſque repellit inanes
Ventorum, atque omnes rabioſi murmuris auras.
Tu mihi diſcipulos CHRISTI ſuperaſſe videris;
Hi piſcatores fuerant, & ſemper egeni;
Quid mirum eſt igitur tulerant ſi fortiter illi
Paupertatis onus, cædemque & vincula dura?
Sed tu cum fueras regali ſemine cretus,
Et Rex ipſe auro fulgens oſtroque decorus,
Omnigeníſque fluens opibus, dapibúſque ſuperbis

Quem

Quem comitabantur famulorum maxima turba,
Quemque omnes venerabantur juvenésque senésque,
Te tantos potuisse pati sine labe labores,
Et non dicendos patienter ferre dolores.
Miramur, ferimusque tuas super æthera laudes.
Petrus Apostolici Princeps erat ordinis, atque
Christi discipulus, quem natum patre Tonante
Confessus fuerat, cum tot miracula Christi
Vidisset, tamen Hic subito trepidavit ad unam
Ancillæ vocem, Christumque negavit I E S U M,
Ast inter medios tu stas interritus hostes,
Et velut Athletes invictus viribus omnes
Despicis insultus Satanæ pedibusque repellis.
Conatus, Ditisque minas contemnis inanes.
Te nulli movere metus, tentatio nulla
Fortunæ adversæ recto de tramite flexit;
At tibi quæ fuerat rebus mens æqua secundis
Mansit in adversis, nullis concussa procellis:
Vulnera cum Thomas vidit tetigitque magistri
Credidit, & Dominum tandem cognovit J E S U M.
Sed tu cum nondum sub luminis editus auras
CHRISTUS erat, nondum vel nomine cognitus orbi
Corde Deum credis linguaque fateris J E S U M.
Esse REDEMPTOREM propriaq; in carne videndum,
Cum mundum in cineres suprema coegerit hora.
Quanto igitur fuerat major fiducia JOBI
Quam Petri aut Thomæ quorum alter fassus J E S U M
At nisi presentem, sed turpiter abnegat alter!
Preterea nemo est mortali semine cretus
Martyrium toties animo qui pertulit æquo.
Ac Tu magne JOBAB cui non crux una, nec unus
Tortor erat; tormenta quidem graviora tulisti
Quam quos ab sumpsit fornax Babylonica, vel quos
Sævi

Sævi projectos laniarunt dente leones.
Quos male suada fames vexat, quos turpis egestas,
Vel quos dira lues crudeli tabe peredit:
Non tantos, similisque tuis sensere dolores.
Non te distulerant rapidæ in diversa quadrigæ,
Nec de sublimi specula vesana Tyrannis
Præcipitem dedit in scopulos mersitque sub undas;
Nec tua Carnifices laniarunt membra flagellis,
Non sicut Stephanus saxorum nube fuisti
Obrutus, aut oleo fervent coctus ut ille
Cui Dominus matrem moriturus tradit alendam,
Aut coctus lento veluti Laurentius igne.
Tu graviora tamen tormenta et damna tulisti
Omnibus his, dum tu scepetris opibusque beatus
Fulgebas inter Cives fidosque ministros,
Ut stellas inter fulgescit Luna minores,
Tu subito cunctis spoliatus honoribus, uno
Divitias omnes oculorum perdis in ictu,
Spretus et irrisus solio dejectus ab alto,
Omnibus exhaustus jam casibus omnium egenus,
Vrbe, domo, sociis exutus, & orbus amicis,
Æger, inops, nudus, cæno projectus in udo,
Et radens miser heu testa tua tabida membra,
Quem velut, monstrum fugiunt horrentque sodales,
Orbus prole pia superest tibi nullus amicus
Qui præberevolet duri solatia casus,
Quem vexat verbis malefida procacibus uxor,
Inque virum sanctum, digna atque indigna relatu
Vociferans, ipsique Deo maledicere suadens.
Teque etiam exagitat divinus terror, et omnes
In te demittit numen cæleste procellas;
Te petit occultis, & vulnerat usque Sagittis
Ille suis, nullam requiem spaciumve furori

Concedens

Concedens, premit assidue, noctésque diéque.
Somnus qui requiem cunctis animalibus affert;
Qui lenit curas, & corda oblita laborum,
Non tamen ille tuos potuit lenire dolores,
Sed quoties placidum carpunt desessa soporem
Corpora per terras, sylvæque & sæva quiescunt
Æquora, te miris turbant insomnia formis.
Tunc curæ ingeminant, tunc te sævissimus horror
Circumstare solet, penitusqúe illapsa medullis
Ira Dei furit, atque altè bibit acta cruorem;
Et variis animum terroribus implet, & angit:
Ah quoties cum te tenebris nox obruit atris
Optasti ut roseos revocaret Cynthius ortus!
Et quoties cum Phæbus equos è gurgite tollit
Optasti ut seros accenderet hesperus ignes?
Nec fuit humana quisquam de gente sacerdos
Castior, aut minus in Venerem nócturnáque bella
Propensus, quàm tu certo dum fædere firmas
Lumina, ne formâ muliebri fracta fatiscant
Et puram inficiant Veneris contagia mentem.
Nec fuit in viduas, puerosque parentibus orbos
Aut patriâ pulsos, inopésque benignior ullus.
Te venerande senex, nulli pietate secunde,
Ah quoties ovium vestivit lana tuarum
Nudatos artus? quoties fuit advena mensæ
Esuriens conviva tuæ? tua regia portus
Instar erat miseris, & asylum semper egenis;
Nec tua pauperibus fuit unquam janua clausa.
Nec te candidior fuit aut syncerior ullus
Inter mortales, cujus sine fraude doloque
Pectus erat, nunquam simulata es mente loquutus,
Nunquam lingua fuit menti contraria, quicquid
Ore loquebaris syncero ex corde fluebat,

Nec

Nec quiſquam eſt veterum vatum, regumve, ducùmve;
Cujus vita magis CHRISTUM referebat IESUM
Quàm tua, qui nullos queſtus, aut munera fundis
In DOMINUM, qui te voluit tot adire labores,
Sed fers omnigenas patienti pectore curas.

Omnipotens Genitor, cujus ſapientia fulget
Per terras, tractuſque maris, cœlumque profundum,
Hunc clarum pietate virum tot volvere caſus
Impulit, & tantos juſſit tolerare dolores,
Illius ut Virtus totum patefacta per Orbem
Clarior evadat, quæ dudum obſcura latebat
Sub denſis veluti tenebris lux aurea mundo
Splendeat, & magnos JOBI teſtetur honores
Natorum natis, & qui naſcentur ab illis.
Nam marcet virtus ſi non exerceat hoſtis,
Et vitiantur aquæ ſi non moveantur, aroma
Non fundit gratum, niſi comminuatur, odorem.

O quàm multa mari nautæ patiuntur in alto!
Ille gubernator doctus fortisque vocatur,
Qui tempeſtates pelagi, fluctuſque ſonoros
Sæpius expertus, per mille pericula Ponti,
Et Sytres, ſcopuloſque, & monſtra natantia vidit;
Quíque eſt luctatus cum tempeſtatibus atris
Sæpius, & cœli didicit perferre ruinas.

Illa arbor ſolida eſt quæ flatus pertulit omnes
Ventorum, fixiſque tamen radicibus hæret.

Quinetiam JOBUS per tot diſcrimina rerum,
Per varios caſus, pelagique per invia ſaxa,
Cœleſtis tandem patriæ pervenit ad oras.

Præterea JOBUS diris cruciatibus illis
Quos tulerat tam forti animo documenta reliquit,
Exemplumque dedit nobis, sæclisque futuris
Rebus in adversis animi constantis, ut omnes
Discamus patienti animo tolerare labores;
Ut non cedamus curarum fluctibus ullis,
Fortunæve malis adversæ, quando procellis
Nos petit, & pedibus calcat malesana superbis.
Nam si Rex tantus solio dejectus avito,
Inque fimo sedeat: Rex, quo non ditior alter,
Nec pietatis erat quisquam, nec amantior æqui,
Et Rex qui flatus irarum pertulit omnes
Cælitus emissos, pestesque Acheronte recluso
Quas Stygiæ regnator aquæ de faucibus atris
Turpiter evomuit, pedibus subjecit, & hostes
Prostravit, meritósque tulit de Dite triumphos,
Si Rex tantæ inquam virtutis pertulit omnes
Insultus Satanæ sine murmure, nonne ministros
CHRISTI ferre decet moderato pectore clades?

Insuper omnipotens rerum qui flectit habenas
Decrevit JOBI famam celebrare per orbem,
Et super æthereas voluit consistere sedes,
Propterea ut tantis reddatur honoribus aptus
Exercendus erat, variisque laboribus heros
Purgandus, veluti purgatur in ignibus aurum.

Donaturus erat laurum pater optimus illi,
Hunc igitur decuit Virtutem ostendere mundo,
Invictosque animos deque hoste referre trophæa,
Ut videant omnes JOBUM meruisse coronam.

Præterea ut Satanæ mendacia dicta refellat

Jobum

Jobum incusantis, falsò, quod scilicet ille
Mente Deum coleret simulata, quodque JEHOVA
Hunc hostes contra circumvallaverit omnes.

Præterea insontem servum pater ætheris alti
Omnibus insidiis Satanæ, atque insultibus Orci
Exposuit fecitque refellere fortiter omnes.
Sed quamvis Satanas sit Rex nigrantis Averni
Non tamen ausus erat JOBI contingere corpus,
Non auferre greges valuit, non tollere ventos,
Nec pueros potuit tectorum occidere lapsu,
Nam pater Omnipotens speluncis abdidit atris
Tartareos fratres, vinclisque coercuit omnes,
Ut sine divino nutu non audeat ullus
Exire, aut superas turbare licentiùs auras.

Quando igitur Satanas graviter nos vexat, & angit,
Ne nos præcipitent curæ, turbatave mens sit,
Nam nil juris habent in corpora nostra Tyranni
Tartarei, capitisve audent vel tangere crines
Divino sine permissu, cur ergo timemus?
Quid conturbamur? Vel quid tremor occupat artus,
Dum pater Omnipotens illos constringit habenis,
Qui nobis vires firmat animosque ministrat
Rebus in afflictis contra Cacodæmonas omnes;
Vincentique dabit cælestis præmia palmæ.
Invictis animis igitur pugnemus, & omnes
Tartareas Furias superemus fortiter, IPSE,
IPSE *aderit nobis CHRISTVS pugnantibus, ergo*
Nil desperemus CHRISTO duce, & auspice CHRISTO.

Et quando innumeris fuerat cruciatibus heros
Vexatus, nullum perpessus acerbius unquam

Tormentum fuerat, quam tunc cum sæva suorum
Ferret amicorum dicteria, quando sodali
Debebant misero succurrere, tollere Regem
Prostratum, & casum misereri insontis amici,
Nec non solando tristes lenire dolores,
Et non defunctum vita calcare Leonem,
Hi miseri insultant, et verbis crimen acerbant,
Et scelerum incusant, quasi commeruisset acerba
Supplicia, & JOBUM scelus expendisse merentem
Proclamant, vexantq; animam sine crimine puram.
Nonne fuit satis insontem vidisse sodalem
Omnibus exutum fortunis, omnibus Orbum,
Quæ sibi debebant jucundam reddere vitam,
Quinetiam verbis lacerent, lædantq; sagittis,
Oris pestiferi, linguæq; repagula laxent,
In scelus omne viro intentantes crimina falsa.
O vos crudeles quos non miseretve pigetve
Insignem pietate virum non digna ferentem
Lædere sacrilegis scelerato ex ore querelis!
Vos decuit medicas adhibere ad vulnera dextras
Languentis miseri, totamq; expellere febrim,
Non augere malum, et morbo superaddere morbum,
Infandumq; atris linguis renovare dolorem.

Quinetiam virtute IOBAB superavit Adamum,
Hic namq; omnigenis ornatus dotibus, atq;
Delitiis opibusq; fluens terræq; marisq; ,
Et IOVIS imperium divino munere nactus,
Heu tamen in medio Paradisi turpiter horto
Concidit, et victus Satanæ se sub juga misit.
At IOBUS medio residens in pulvere, totus
Obductus scabie, et macie confectus, egenus,
Æger, anhelansq; atq; extrema per omnia ductus;
Invictum

Invictum tamen ille animum, non tela timentem
Hostica, nec Satanæ insultus in corde gerebat,
Non fugit, aut trepidat, validum sed pectus in hostes
Dirigit adversos, & fortiter opprimit omnes.

Magna fides, & mira fuit genitoris Abrami,
Qui dum filioli chari fortissimus heros
Cervici super incumbit gladioque minatur,
Credidit hunc potuisse Deum de faucibus Orci
Eripere, & rursus revocare ad Luminis oras!

At Jobo longè fuerat fiducia major,
Qui tum sperabat quando spes nulla salutis
Esse videbatur, cum fluctibus obrutus iræ
Udique divinæ fuerat, cum fracta procellis
Tota carina foret, medioque sub æquore mersa,
Jam tum sperabat venturum tempore fixo
Esse Redemptorem qui se revocaret ab umbris
Infernis, faceretque ad lumina surgere vitæ,
Et jam de rapidis pereuntem tolleret undis.

Nec fuit in JOBO magis admirabile quicquam
Quam quòd duxisset puram sine crimine vitam
Tot populos inter sceleratos, fas ubi versum
Atque nefas, pietasque jacet prostrata, fidesque:
Nec metus, aut cultus divini Numinis ullus
In tota regione fuit: sic JOBUS in horto
Floruit Ausitidis, spinas velut inter acutas
Stat rosa, perpetuos exhalans suavis odores
Et viret ut medio brumali frigore laurus,
Quæ neque frigoribus Brumæ, nec flatibus Euri
Cedit, nec viridem foliorum amittit honorem,

Sic JOBUS mediis in tempestatibus iræ
Divinæ exuberat foliis, & vertice ad auras
Æthereas surgens, caput inter nubila condit.

Utque inter fluctus delapsa Arethusa Sicanos
Non sese miscet salsâ cum Doridis undâ,
Nec quicquam propriæ dulcedinis inter amaros
Amittit fluctus, nec JOBUS perdit iniquas
Inter tot gentes degens cultumve fidemve
Numinis æterni, sed puræ lampadis instar
Splenduit in tenebris, radiisque micantibus orbem
Illustrans, omnes errorum dispulit umbras.

Salve hominum Phœnix, veræ virtutis imago,
Atque Sacerdotum decus, & Rex magne tuorum,
Rexque Tui major, Rex invictissime Martyr,
Vates veridice, & pugil fortissime Ditis,
Inferni domitor, debellatorque Tyranni.

Herculeas laudes, cecinere & facta Latini
Admiranda quidem, sed non credenda poetæ;
Sed quantum vero cedunt mendacia, quantum
Umbræ concedunt luci, nox atra diei,
Amphytrioniades tantum tibi cedit IOBE;
Non hic Tartareum custodem in Vincla petivit,
Ut cecinit vatum Latiorum maximus olim;
Sed tu Tartareum domuisti invicte Tyrannum.
Propterea solus meruisti ut corpore gestes
Herculis exuvias, cujus caput alba coronet
Populus, & dextram nodoso robore firmes:
Nec fama Alcidis tantum telluris obivit
Fixerit æripidem cervam licet, aut Erymanthi
Placarit nemora, & lernam tremefecerit arcu,

Quantum

Quantum fama tuæ virtutis, fama per orbem
Tàm longè lateque volans, quam Phœbus Olympi
Dum volitat per utramque domum, quam nulla filebunt
Sæcula, dum liquido volvuntur sydera cœlo,
Dum rutilans Aurora diem, noctemque silentem
Roscida mobilibus lustrabit Cynthia bigis.

FINIS.

Errata sic Lector corrigat.

PAg. 1. l. 5. *lege* ἐιδ᾽ετε. p. 17. ver. 2. *immittas*. v. 3, *protinus*, v. 11. *terrasque*, p. 18. v. 5. *semel*, v. 19. *nullo*. p. 22. v. 24. *strepera*, p. 23. v. 18. *longa*, v. 31. *Submittens*, p. 24. *languenti*, p. 26. v. 1. *aurique*, p. 28. v. 7. *horrisonis*, p. 31. v. 24. *veluti*:

Longe pluribus præsertim in accentibus & punctis occurret Lector. At vel ipse dormitet nunquam, vel candide de nobis sentiat & typographo ignoscat.

Quantum fama tuae virtutis, tam per orbem
Tam longe lateque volans, quam Phoebus Olympi
Dum volitat per utramque domum, quam nulla silebunt
Saecula, dum liquido volvuntur sydera coelo,
Dum rutilans Aurora diem, noctemque silentem
Noctivagis nobilibus lustrabit Cynthia bigis.

FINIS.

Errata sic Lector corrigat.

Pag. 1. l. 5. lege *edocere* p. 17. ver. 2. *immitius*. v. 8. *proximus*, v. 11. *tetrastyne*, p. 18. v. 5. *semel*, v. 19. *nulio*. p. 22. v. 24. *fenfere*, p. 23. v. 18. *longa*, v. 31. *Submittens*, p. 24. *languenti*. p. 26. v. 1. *antique*, p. 28. v. 7. *torrefcentis*, p. 31. v. 24. *velanti*.

Longe plurima praeterea in accentibus & punctis occurret Lector. At vel ipse dormitat Homerus, vel candide de nobis sentiat & typographo ignoscat.

1883